B. N. C.
FIRENZE
1023
15

Digitized by Google

XXVII
BERR
1705

Digitized by Google

1023. 15

Digitized by Google

IN NVPTIARVM
SOLEMNITATES
D. ALBERICI CYBO,
ATQVE
NICOLETTÆ GRILLI

ILLVSTRISS., AC EXCELLENTISS.

CARRARIÆ PRINCIPVM
MERITISSIMORVM
EPITHALAMIVM
FRANCISCI BERRETTARII.

MASSÆ, MDCCV.

Typis Hieronymi de Marinis Typographi Ducalis.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPITHALAMIVM.

FInibus Etruſcis, qua Macra immergitur vnda
Tyrrheni, ac Liguris propter caua fragmina Lunæ,
Detorquet patulo ſinuoſa volumina Cœlo
Mons ingens, (Sacrum ſeruato nomine priſca
Relligio inſtituit, veteres, noſtrique coloni
Iamdudum dixere Sagrum,) gratiſſima ſedes
Arunti, Vatum qui ſeclis maximus æuo,
Interpreſque Deûm cecinit monumenta futuris.
Ille ſalutiferis, quibus vndique germinat herbis
Ditat humum, quà paſcit oues, qua pharmaca legi
Naturæ condit, circùm dum viſcera fundo
Colluctantur aquis. Has inter concita crebris
Flumina ſpeluncis reboant, argenteus vnde
Frigidus exoritur, niueoque immurmurat ore
Carrio germanus, qui ſubter Principis vmbra
Hinc, illhinc ambo lepidis dominantur in aruis;
Vtque per aſſiduos gemmæ pretioſa labores,
Multaque vena, dedit quam fòrs natura colonis,

Curiſque artificum, quò re præſtantius eſſet,
Car ùs hoc fieret; ſic ipſi ex vbere campo
Multiplicant ſegetes per amænas vndique terras:
Namque metalliferum iactat lac diuite plauſtro,
Sæpè quòd in pretio lapidum, ſocijſque periclis
Ferre ſuas compos certat peregrinus ad oras.
Hiſce Dioneis, horiſque illecta, locisque,
Delicijſque Venus, quo tempore Virginis ardor
Nocte, parique die Libram conterminus æquat,
Tum fortè illius ſaxoſo gurgite clari
Fontis Acidalios ignes de more fouebat;
Cum ſubitò vitream tanto dignatus honore
Frigidus induitur pallam, iuſtamque ferendo
Rem, cauſaſque metus matrem compellat Amoris:
Condoleo, genitrix, Diuum pulcherrima, ſpes, &
Gaudia quæ confers mortalibus obuia cunctis,
Tardari noſtri Connubia Principis, vnde
Continuum Albericus agit decus addere Cybo,
Lætitiamque ſuis; Genitrix, quæ cura vel obſtat,
Vel generi antiquo fieri incrementa retardat?
Talia quærenti breuiter breuis ore locuta
Inde Venus: Tua cura mihi vigilantior inſtat,
De quo nunc quereris; nàm fixa mente reuoluo
Id, quoties memini Iuuenem vidiſſe iugalem.
Te latet haudquaquam, te fallit, Frigide, gratas
De-

Delicias odiſſe tuas : mihi nempe vetuſtà
Progenies dilecta Cybo ! Me rore ſub iſto
Cur huc vſque putas hodie veniſſe lauandam ?
Sed mora quæ retinet fruſtrando tempora ? Siſte.
Sic fata, vt primum ſe puro flumine lauit.
Exurgit propera , & colles euecta per altos,
Qualis ad auroram rutilans ſolet eſſe , ſuiſque
Fulgida luminibus, magna comitante caterua,
Flectit iter dextra, quà Carrio diuidit Vrbis
Mænia, & Aligerum, niueas qui fortè per vndas
Ludebant Nymphis, ad ſe vocat ipſa phalanges,
Natorumque alios currum, matremque ſequentes,
Atque ait : O mea ſola ſalus, mea ſola voluptas,
Cuncta quibus terrena ſimul, diuinaque parent
Luce palam, ſeù facta placent occulta moueri
Viribus aſſiduis, longiſque laboribus vti;
Opportuna dies vigilat, qua iure per omnes
Italiæ partes, plauſuque feramur ad aſtra.
Tempus adeſt, atque intereà iuuat inſuper vnà
(Neſcio quà læta cordis formidine) mecum
Vos ex his ſuperare hilares regionibus Alpes
Viſura tandem, quorum Connubia mente
Inſtitui, extremamque manum, placitumque datura.
Sic dicens ibat ſalebroſis vallibus, vnde
Rudera ſuſpiciens lapidum , niueique metalli,

 (Quo

(Quo non ſculpendum melius, neque dignius vllum
Miramur,) celſis demum peruenit ad oras.
Hinc ruit in Ligures, portumque, ſinumque reuiſit
A læua ſuperans Ericis trans æquora Coruum
Diua prius Templum, curruque exinde citatò
Ad iuga transfuehitur Petræ ſublimior, vnde
Crebreſcunt fluctus, quibus acta Ligustica ſpumat,
Littoreoſque ſinus ſcopulis latrantibus vrget.
Hic verò opportuna Puer, quæ geſſerat antè
Voce refert; Genitrix, quos iam vacuaſſe labores
Credideris, durum eſt hodie, longumque referre
Actenus in Iuuenem preclaro ſanguine fartum,
Quem modò ſiluester, modò nobiliore Paleſtra
Delectat curſu ſeries, delectat equorum:
Cui genus antiquum, cui ſecla ab origine Cybò
Præter auos, atauoſque nitent, ſed nulla ſub alto,
Ingentique animo generoſi Principis abdi
Pectore, quæ traheret, valuit noua forma Puellis:
Nullaque diuitijs pulcherrima Virgo, vetuſque
Heroum ſanguis, mentem quæ flecteret, vnde
Fædera colligerem, poſſemque accendere Tædas,
Nulla fuit, ſpe noſtra adeò deluſa fuiſſe
Cura videbatur. Tandem quò poſſe putaram
Ipſe minus, retulere decus, palmamque labores.
Ergò audi, mater; cunctæ regionis ab orbe

Quàm

Quàm maria hæc circum, Varuſque, & Macra, Paduſque,
Perque Intemelios, Albæque Liguſtidis oras,
Parſque iſthinc Etruſca ſoli contermina cingit,
Vt grata inſinuat, plauditque Ingaunia, perque
Tecta, viaſque ſonat feſtiuo murmure tota
Ianua, qua ſerie Nympharum Glaucus inundat
Littora fluctiuagus, flauiſque exultat arenis!
Ianua diues opum, quibus Vrbs par vndique magnis
Altera nulla potis, ſtudijſque aſperrima belli,
Præſtantique Patrum, vigilique operoſa Senatu:
Oceani terror multum dominata per æuum
Gentibus externis, nec iam minus ore, domique
Prouida in aduerſis, rebuſque inſtructa ſecundis
Quàm generoſa ſuis vtroque in Pallados vſu.
Hæc eadem mihi nota ſatis, qua ſæpe laboro,
Tuque haud ignoras Gentes, Vrbemque, ſuique
Ordinis, & mores, & quæ diſcrimina ſexus.
Res inter tot conſpicuas ſpectabile Virgo
Tertia Natarum non hæc minus ore coruſcat,
Marcique Antoni fulget Nicoletta ſereno,
Virgineiſque ſonat virtutibus: orta Parente,
Quem laude, ac meritis, claro, dignoque notatum
Sanguine, Patritiumque ſuum Reſpublica Grillum
Genua Senatorem celebrat, Magnatibus autem
Ex ipſis Titulo ipſe eſt inſignitus Ibero:

Diues opum Princeps, animique, & corporis vna
Dotibus, ingenijque laboribus aptus, & armis.
E Natis, nuptiſque prius iam pulchra venuſtis
Tertia florebat: numero, vultuque, piaque
Indole grata minus non hæc; ego protinus alta
Huic luce inſedi, & quamquam foret inſtar amantis
Os vtriuſque procul, viſu tamen ocyor ipſo
Et vincla, & laqueos placuit ſuper addere victis
Altera in alterius referens ſimulachra pudoris.
Sic mente impreſſi, quæ Patris commoda, iura,
Et Generi, & populis communia debita portet
Connubiale iugum: quæ iubila Matris ad ortum
Principis accedant, fæcundaque ſemina Prolis.
Talibus auxilijs, atque huius acumine teli
Igne diu ſuccenſa meo formoſa Puella
Victa ſimul, victuſque eſt Albericus, alentes
Cuſpidis ingreſſu ſerpentia vulnera cordis
Venarum clauſtris; quapropter amantis ad vſum
Gaudet vterque ſibi memorari ſingula: gaudet
Et genus, & patriam, vireſque, & Gentis honores,
Nomenque alterius: vel credita mente reuoluit
Diſparibus non iuncta animi virtutibus ora,
Quæ vel adhuc cernit, vel quæ prolata fuere
Auribus, aut aliam narrata ab imagine curis
Sculpit ineſſe nouis maiori lumine formam.

Igne

Igne calent, quo ſæpe diu, noctuque ſolemus
Vrere continuis hærentia pectora flammis.
Arſerunt ergo flagrantia corda, grauiſque,
Sollicituſque adeò Iuueni calor oſſa coegit,
Vt videas iſthinc, quo mentis lumine, quouè
Explere hoc animi poſſit ſua gaudia viſu.
Surge, per & longè Etruſci caua littoris arua
Proſpice, amica tuum, noſtrumque accenſa per ignem
Quanta ſit, & qualis, quæ, dum quatit vngula campum,
Enumerat proceres, ſole irradiante, caterua:
Quos inter læta celſos, velut vnicus Atlas,
Ex acie præſtans meriti iuuenilibus annis
Aetatem ſuperat magno Albericus honore.
Cernis, vt ex atauis, nec non genitoribus vna,
Quæ ſeruanda placent, prorſum alta mente recondat
Coniugia hic eadem, dum gratæ feruidus Vrbi
Quò magis intendit, cumulat noua flammia calorem
Aeſtuat, & quanto ſit longior exitus, vrget
Pectora, perque moram feruentius ardet acerbam.
Intereà exurgit, ſerie comitante per vndas
Nobilium Virgo, ac procerum, faſtuque ſuperbo
(Nec mora) ſollicitat Claſſem, Neptunia perque
Regna viam properat. Cui non minus impiger ipſe
Albericus adeſt, illamque amplexibus vrget.
Verte acies, mirare frequens, quot murice tincta

Syr-

Syrmata nobilium gladij fulgore, quot ante
Matres, ac pueros, turba ſtipante, ſuperbi
Luxurient apices mitrata fronte puellis.
  Ille hæc. At mater gauiſa Cupidinis arte,
Longiſque inſidijs: Poſtquam ſubduximus, inquit,
Quæ placuere magis, ſatis eſt auxiſſe colonis
Lætitiam, Ligurumque plagas luſtraſſe. Quid iſthic
Amplius? in reliquis opus eſt ſua debita quiſque
Munia perficiens Tædas comitetur ouantes.
  Sic ait: At Pueri, rerum fidiſſimus ordo,
Cui Natura parens, (acies dilecta Tonanti,)
Principio quiſque euigilans ſe nuncius offert
Auſoniæ populis, quos inter Carmina Vatum
Pro pretio, ac in honore ſolent celeberrima duci.
Cura tamen, cauſiſque decor melioribus vrget,
Quòd nunc Pimplæis foret opportuna diebus
Aetas, quæ nunquam melius celebranda Camœnis
Solueret in laudes ab vtraque Propagine magnos,
Primoreſque Vrbis Dominos, Ligurumque Dynaſtas:
Qui leges adhibere ſuas, ijdemque Senatum
Qui valuere Patres vni conducere Iano.
Nam Vates Pueri canerent, quàm fœdere ſacro
Gens benè ſe Genti coniungat Grillea Cybò:
Quàm Marte inſignis, quam Relligione peractis
Continuo à ſeclis fuerit, quam nobilis acri

Palladis

Pallad's vmbone, ac haſta, belliquè, domique:
Quàm ſe ſe ferro, frontiſque effuderit oſtro
Semina geſtorum ſummis exculta Tiaris.
Propterea nullis mirum, ſi lege perenni,
Cyprique imparibus non conuenere ſagittis
Præclaris hodiè, digniſque parentibus orti
Inter ſe Sponſi, facibuſque ardentibus ipſe
Firmauit Thalamus fidei irreuocabile pactum.
Hinc parte ex alia Volucrum properantius agmen,
Aligerique omnes per aperta volumina Cœli
Se ſe committunt, ac totis viribus vnà
Firma catenandis, at blanda adamantina lætis
Vincla parant Thalamis; cum ſacris ritè peractis
Os, humeroſque Ioui par Albericus ad Aulam
Transfertur, quorum Tædam ſociante Iugalem,
Qualis ab Eois rutilat Venus altera, ſurgit
Purpureis Nicoletta roſis, cui candida vultu
Lilia floriuago, niuibuſque repullulat oſtrum.
Occurrunt Pueri, quorum qui plurimus vrna
Hos Lympha aſpergit Charitum, gratique leporis
Rore ſalutifero: qui candida prata recidit:
Qui violas, Paphijque ſoli de ceſpite frondes
Carpit odoratas, geminaſque ad tecta per Vrbes
Sternit iter, verſuque hilares oſtentat amores.
Tum pateras alij vacuant, quibus imbribus implent

Ne

Nectareis, alijſque manus per balſama ſudant,
Vbere nec ceſſant plauſu reſonare, Parentem
Pectore quà repleant Carolum, quà laude ſalutent.
Atque ea per Pueros dum voce, aliſque frequentes
Læta gerebantur, fuerat ſublimè reuerſa
Iam Venus in Templum, Lunenſiaque oſtia Macræ,
Rupeſque Aemiliæ properatis vndique votis
Sacra dabant hilares; geminæ cum protinus ante
Stipatæ innumeris oſtroque, auroque Puellis
Attalicè mitris, & verſicolore Theriſtro
Matronæ geminis Carraria, Maſſaque plantis
Procubuere Deam vultu, cultuque decoro.
Namque vtrique Peplum per candida fila tegebat
Vſque pedes albam tenui diſcrimine Pallam.
Hæc prior: ò ſtellis ingens decus addita Cœli,
Ac terris, inquit, ſine qua natura perenne,
Arſque ſimul, doctæque nihil genuiſſe videntur,
Nec formaſſe manus, Diuum pulcherrima, ſemper
Quam Superi, Infernique Lares venerantur ad Aras,
Obuia nos vtraque & greſſu, coramque venimus,
Debita comperias, quas ipſæ & ſoluere grates
Poſſumus, agnoſcas, meritoque incumbere honori.
Hunc ſocies ad feſta, explendaque gaudia, quæ per
Nobile coniugium, atque vtroque Principe dignum
Vidimus excultum, ac populi omni laude celebrant,
Nu-

Numine duratura tuo ſine fine rogamus.

Vix ea; cum ſe ſe Carraria talibus infert
Vocibus : Ergo preces iterare opus eſſe iuuabit
Te velle, vt nos vlterius dignemur, & vſque
Huc, Venus, ad ſedem, ac patrias decoremur ad oras.
Dedecet hoc etenim iuuenes in Principis aula
Priuari hoſpitio Diuæ tua iura ſequentes.
Et ſi dulcis amor noſtrum cognoſcere cultum,
Teque mouere poteſt, non iam fabrilia deerunt,
Artificumque operæ, quibus hic Sculperis, ibique
Luce palam viuas in marmore: liba, Tibique
Conſtituam niueo, ac ſolido delubra metallo.

Talibus indulgens votis Citherea ſubiuit:
Quàm benè grata calet veſtra hæc præſentia ! Quantum
Gratus amor Veneri, quem nunc monſtratis in amplum
Principis obſequium veſtri ! Placet. Integer ipſe
Albericus, & hæc pariter Nicoletta merentur
Incunctanter auis, virtute, parentibus, annis.
Ergo ego lætanter vultis quoque computer vnà
Vobiſcum numero ? faciam, Thalamoque iugali
Nuſquam abero, & Natis, & qui naſcentur ab illis
Perpetuam ſeclis referam ſuper æthera Gentem.

At non vlterius iam facta ſilentia dictis
Ex hiſce in Venerem tenuere Cupidinis æſtrum,
Quin lepido, dulcique ſimul colluderet igni.

Ecce voluta comas, inquit, nox ecce iugalis,
Dumque ego, Tuque Parens Ceſtum laxamus, & arcum,
Tectaque ſuauiſonant fidibus, muſiſque canoris,
Dumque Hymenæus agit concordi vincula nexu,
Soluuntur ſocijs promiſcua fœdera flammis.
Talia monſtranti riſit Cytherea pudorem,
Atque eadem vitrix ſeſe comes addidit illis
Aurea, puniceo curru, bijugiſque Columbis
Peruia: nec tacuit, nec tanto in honore viarum
Deſtituit, donec per amicas mænia terras
Attigit Alcidis robur reparantia Clauam,
Quaque inſigne Deæ perhibet fatale rotantis.
Vtque acri complexa videt Connubia cunctis
Rebus adhuc lætis, dicto ſic vltima ſoluit:
Viuite concordes, animæ quibus aurea ſecla
Succeſſura pios reparent ſine fine nepotes.
Tantum effata vtrique dedit præſagia rerum.
Vtque per aerium rutilat via ſtrata vaporem,
Sic de more plagas Cœli, ſua regna petiuit.
Annuit hiſce poli iucundo Iuppiter igne,
Læuaque intonuit, nutuque indulſit amico.

F I N I S.

Google

Die 15. Aprilis 1705.

Impr. F. Franciſcus Arrighius Auguſt. Commiſſ. S. Officij Maſſæ, & Carrariæ &c.

Mauritius Canon. Venturinus Vic. Foran. pro Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Epiſcopo Lunen. Sarzan.

Co. Io. Bapt. Diana Paleologus pro Sua Celſitud.

Digitized by Google

MC

Digitized by Google